

vere, quam excessum, per « Jura proxime allegata. » Quarto tandem quibuslibet pactis, potest accedere fidejussor, et hic efficaciter obligari: ita videlicet, et quamvis ex pacto nudo non detur actio civilis adversus ipsum paciscentem, hæc tamen detur adversus fidejussorem pro pacti talis impletione datum arg. c. l. *Fidejussor*. § *Fidejussor*. ff. de *Fidejussorib.* ubi fidejussor conceditur pro obligatione non solum civili, sed etiam naturali.

31. *Spectato jure canonico datur actio ex pacto nudo.* — Quæritur V. Utrum ex pacto nudo detur actio? Resp. I. Spectato jure canonico, ex pacto nudo datur actio, id est, jus exigendi in judicio illud, de quo inter paciscentes conventum fuit. Ita Glossa fin. in c. *Antigonus*. et Abbas, ibid. n. 3; Baldus, n. 11; Felinus, n. 4; Fagnanus, 24, h. t. et canonistæ communiter, contra Innocentium et paucos alios, qui sentiunt, neque secundum canones ex pacto nudo oriri actionem, sed ex eo competere dumtaxat remedium denuntiationis evangelicæ, et implorationis officii judicis ad obtinendum id, quod naturaliter debetur, sique peccatum evitetur.

32. *Idque probatur.* — Conclusio hæc satis aperte habetur in cap. i, h. t. ibi: « Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam. » Nam ly « conventus, » importat conventionem in judicio; conveniri enim ex vocabuli proprietate quis dicitur per viam actionis, arg. l. *Quoties*. ff. *Si quis cautionibus*, etc. ac notat Fagnanus in c. *Antigonus*. n. 16. h. t. Concordat cap. iii, h. t. illis verbis: « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. » Ubi bene ponderandum ly « Studiose agendum est; » quæ particula cum non solum privatis hominibus, sed vel maxime iudicibus loquatur, utpote qui, secundum leges, et sacros canones judicare debent, can. *In istis*. dist. 4. cum similibus; clare indicat, etiam iudicibus studiose agendum esse, ut promissa opere compleantur; ac proin ex pacto nudo dari actionem. Accedit ratio: quia pactum nudum circa materiam gravem, et notabilem, obligat in conscientia, et sub peccato mortali: atqui Ecclesia potest procedere super quolibet peccato mortali, ut peccatores revocet a vitio ad virtutem, c. *Novit*. de *Judiciis*, ergo.

33. *Solvuntur contraria.* — Dices: Pactum illud inter Antigonum et Optantium episcopos initum, de quo fit mentio in cit. cap. i h. t. fuit vestitum; cum fuerit in scriptis redac-

tum, ut patet ex cap. xii. concilii Carthaginensis primi, unde canon iste fuit transumptus; ergo male inde inferitur, ex pacto nudo dari actionem de jure canonico. Accedit, quod de jure civili non detur actio ex pacto nudo, ne lites nimium multiplicentur, ut proxime dicitur: atqui hæc eadem ratio urget de jure canonico; simulque non est statuenda differentia inter jus canonicum, et civile, ubi ea non habetur expressa in jure, cap. i, de *Novi operis nuntiat.*, ergo. Resp. neg. consequent., quia, ut recte notat Fagnanus, ubi supra, n. 20 opinio canonistarum non fundatur in canone, et actis dicti concilii Carthaginensis (hoc enim fuit dumtaxat provinciale) sed in textu cit. cap. i. h. t. quod auctoritate Summi Pontificis in corpus juris canonici reductum fuit, ac de interventu scripturæ nullam mentionem facit, sed absolute præcipit, ut « inita pacta suam obtineant firmitatem, » etc.

34. *Solvuntur contraria.* — Ad alterum negatur consequentia, et paritas: nam jus civile temporalem dumtaxat reipublicæ tranquillitatem spectavit, cujus proinde intento sufficiebat allata ratio de litibus non multiplicandis; contra vero jus canonicum insuper providere voluit bono conscientiarum, et ut peccata evitentur. Differentiam vero inter jus canonicum, et civile, quoad propositum esse statuendum, convincunt textus utriusque juris partim jam allati, partim illic allegandi. Unde,

35. *De rigore juris civilis non datur actio ex pacto nudo.* — Resp. III. De rigore juris civilis non datur actio ex pacto nudo, sed solum exceptio. Ita communiter tenent doctores, et tradit textus apertus in l. *Juris gentium*, § *Sed cum nulla*. ff. h. t. ibi: « Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem. » Ubi per ly « obligationem, » intelligitur obligatio efficax (ut explicat Glossa), hoc est, talis qua quis actione instituta possit petere in judicio, quod sibi ex nudo pacto promissum fuit. Et talem obligationem, seu actionem, jus civile noluit tribuere pactis nudis, ne, cum sint satis frequentia, ac sæpe leviter et incaute fiant, occasione ipsorum lites nimium multiplicentur.

36. *Sed solum exceptio.* — Quia vero ope exceptionum lites præscinduntur, hinc merito pactis nudis jus etiam civile tribuit exceptionem, mediante qua possit quis se defendere ab actoris petitione, eumque repellere. Hinc si Titius promisit Cajo centum v. g. aureos

dare mutuo, non potest vi hujus nudæ promissionis Cajus actione intentata dictos centum aureos petere in judicio; si tamen Cajus aliunde debeat Titio centum aureos, hosque Titius repetat in judicio, potest Cajus ipsum repellere exceptione mutui promissi, excipiendo videlicet contra eum, quod sibi promiserit centum mutuo, et nondum dederit.

37. *Secundum hodiernos mores etiam in foro civili datur ex pacto nudo; et cur?* — Additur notanter in conclusione, « de rigore juris civilis. » Nam secundum hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo; prout tradunt uno ore interpretes, teste Christoph. Clingensperger lib. III, *Institut.* tit. 14. quæst. 20. et Pirhing. h. t. n. 39. Idque merito, ne forum externum discordet ab interno. Accedit, quod stipulatio, per quam pactum fit vestitum, de facto valeat, sed quacumque verborum forma concipiatur, ut dicitur n. 24. Unde sequitur, quod non nisi rarissime de facto detur pactum nudum; cum mutuus contrahentium consensus communiter non nisi verbis, vel scriptura, exprimi soleat, quo utroque tamen modo pactum jam vestitur.

38. *An de facto detur pactum nudum? Actio ex pacto nudo, quomodo vocetur?* — Intelligence, nisi quando contrahentes volunt, ut sit pactum nudum, arg. d. l. *Juris gentium*. § *Quod fere*. ff. h. t.; vel nisi quis promittat alteri quidpiam nutu, aut alter interrogatus nutu consentiat, sive respondeat; quia tunc etiam de facto daretur pactum nudum. Glossa in d. l. *Juris gentium*. § *Sed cum nulla*. § *Igitur*. et Bartolus, ibid. ff. h. t. Quia tamen dicti casus sunt rarissimi, hinc præsens quæstio in praxi vix amplius habet locum; ac merito secundum hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex quocumque pacto, serio ac deliberate inito: qualis actio potest appellari actio in factum, arg. l. *Quoties*. ff. de *Præscript. verb.* juncta Glossa, ibid. § *Utilis actio*. ac notat Baldus in c. *Antigonus*, n. 5, h. t.

§ II.

QUI, QUIBUSQUE DE REBUS POSSINT PACISCI?

39. *Pacisci possunt omnes quibus non reperitur id prohibitum.* — Quæritur I. Quinam generaliter possint, vel non possint pacisci, seu pacta inire? Resp. I. Pacisci possunt omnes

qui possunt consentire, et quibus non reperitur id prohibitum. Ita communis. Nam pacisci, et contrahere, est de genere communiter permissorum; sicque omnibus, qui sufficientem usum rationis ad consentiendum habent, nec aliunde sunt prohibiti, concessum censetur. Ubi Glossa in c. *Inter corporalia*. § *Non invenitur*, de *Translat. episc.* allegatis pluribus juribus, inquit: « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. » Quam regulam procedere in materia communiter non prohibita, jam dictum est supra, tit. III de *Rescriptis*. § 2, n. 33 et 34.

40. *Pacisci prohibentur aliqui a natura, alii a lege; et qui? Mutus et surdus, an possit pacisci?* — Resp. II. Pacisci prohibentur aliqui a natura, quidam vero a lege. Ita rursus communis; et patet inductione. Sic quippe natura prohibentur pacisci infantes, perpetuo amentes, et furiosi extra lucida intervalla; nam tales ex defectu usus rationis consentire nequeunt. Idem dicendum de muto et surdo conjunctim a nativitate; quia naturaliter prohibetur conventionem cum altero celebrare, cum nec hujus mentem rite percipere, nec suum consensum debite valeat explicare. Secus foret, si ambo isti defectus primum advenirent adulto, isque scribere valeret; quia tunc non impediretur a natura, quin per litteras cum altero pacisci, et contrahere valeret.

41. *Impubes an pacisci valeant? Remissive.* — Porro a lege prohibentur pacisci imprimis impubes absque auctoritate tutoris, nisi paciscendo conditionem suam faciant meliorem, § 1. *Instit. de Auctorib. tutor.* atque amplius declaravi in *Theologia morali*. tract. VIII dist. 1. n. 26. et seqq.

42. *Minores habentes curatorem sine hujus auctoritate nequeunt pacisci circa alienationem bonorum suorum.* — Deinde minores seu minores viginti quinque annis, si habeant curatorem, non possunt pacisci, seu contractum inire circa alienationem bonorum suorum, nisi interveniat auctoritas sui curatoris, l. *Si curatorem*. C. de *in integrum restitut.*

43. *Bene tamen circa concernentia propriam personam.* — Additur notanter, « quoad alienationem bonorum suorum, » quia ejusmodi minores bene possunt pacisci, seque obligare alteri quoad ea, quæ præcise suam personam concernunt, etiam absque interveniente curatoris; ut puta, si minor sit opifex, vel artifex, et suas operas cuiquam locarit, arg. l.

Puberes, 101. ff. *de Verb. obligat.* ibi: «*Puberes sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari.*»

44. *Solvitur instantia, et concordantur jura iuris.* — Nec obstat, quod Glossa in cit. l. *Puberes*. et antiqui interpretes, textum hunc exponant de puberibus curatorem non habentibus, quos posse pacisci, atque ex contractu obligari concors est doctorum sententia: quamvis, si in contractu graviter lædantur, postea ipsis suppetat beneficium restitutionis in integrum. Non obstat, inquam: nam hæc Glossa, et antiquorum interpretatio, gravem patitur instantiam ex eo, quia textus relatus non dicit absolute, «*Puberes sine curatoribus;*» sed expresse addit relativum *suis*: sicque clare denotat, quod loquatur de puberibus curatorum habentibus.

45. *Solvitur instantia, et concordantur jura iuris.* — Unde, quod in cit. l. *Puberes*, ff. *de Verb. obligat.* sermo sit de obligatione personali, quam minor potest facere ex stipulatu absque auctoritate sui curatoris; sicque textus ille conciliatur cum cit. l. *Si curatorem*. C. *De in integrum restit.* ubi est sermo de obligatione reali, seu quæ tendit in alienationem suorum honorum, atque sine curatore fieri prohibetur: tenet Andr. Fachineus, lib. III. *Controvers. juris*, cap. ix, post Jacob. Cajacium in *Comment.* ad d. l. *Puberes*. et sequitur Engel h. t. n. 32. Siquidem curator datur puberibus non tam ratione personæ, quam ut bonis eorum præsit, seu administrator existat: qua de causa matrimonium ab eisdem sine curatoris interventu contractum valet, l. *Sciendum*. ff. *de Ritu nuptiar.*

46. *Quinam alii a lege prohibeantur pacisci?* — Insuper a lege prohibetur pacisci, seu contrahere prodigus, cui bonis est interdictum: quamvis enim stipulando acquirere possit, non tamen obligari, l. *Is cui*. ff. *de Verb. signif.* Item filiusfamilias, licet pacisci valeat, ne a se, vel a patre petatur, l. *Si tibi*. § fin. et l. *Acquirunt*. § item ff. *de Pactis* non tamen valet pactum ab eo initum in detrimentum patris, l. *Filius*. C. eod. Idemque dicendum de servo, respectu domini, cit. l. *Si tibi*. § fin. Nam, ut habet reg. 176. ff. *de Reg. jur.* «*Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.*»

47. *An et clerici, ac Ecclesiarum prælati?* *Remissive.* — Cæterum an, et quomodo, de jure canonico prohibeantur pacisci clerici, et Ecclesiarum prælati, alienando de bonis

Ecclesie, aut Sede vacante, communiis in propriis locis dicitur.

48. *Quisque potest pacisci sibi tantum non alteri.* — Queritur II. An sicut aliquis potest sibi pacisci, ita possit et alteri? Resp. I. Regulariter loquendo, quisque paciscitur sibi tantum, non alteri, nisi vel ad id habeat mandatum, vel ei, cui paciscitur, subjectus existat, aut alias sua intersit: et si secus fiat, nihil agitur. Hæc conclusio de jure civili est certa, et communis; ut patet ex § *Si quis alii* et § *Alteri*, instit. *de Inutilib. stipulat.* et l. *Stipulatio ista* § *Alteri*, ff. *de Verb. obligat.* ubi stipulatio pro alio facta, ex eo improbat, quod nihil intersit ita stipulantis. Hoc quippe repugnat naturæ stipulationis, quia (ut ibidem loquitur textus) «*invenite sunt stipulationes, vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest.*»

49. *Soltem regulariter loquendo.* — Dicitur, «*regulariter loquendo.*» Etsi enim regula juris civilis sit alteri per alterum non acquiri, ut inquit Abbas in proœmio *Decretalium*, num. 24. id probans per proxime allegata jura, nihilominus hæc ipsa regula plures patitur fallentias, seu limitationes, quarum septemdecim enumerat Glossa in d. § *Si quis alii*. § *Nihil agit*, instit. *de Inutilib. stipulat.* quæ tamen a potiori ad tria enumerata in conclusione membra reducuntur.

50. *Nisi ad hoc habeat mandatum.* — Imprimis igitur potest quis pacisci alteri, ac in ejus favorem stipulari, quando ad hoc habet mandatum, l. *Si procuratorem*. ff. *Mandati*, cum similibus. Concordat textus in l. *Quod procurator*. ff. *de Procurat.* ubi procurator utiliter paciscitur, ac stipulatur in favorem sui principalis. Idem dicendum de tutore respectu pupilli, et actore municipum, et curatore furiosi, vel adolescentis, l. *Eum qui*. § *Item si*. ff. *de Constituta pecunia*. Tales enim ratione sui officii, ac legitimæ administrationis, censentur habere mandatum atque obligationem paciscendi in favorem eorum, quorum curam gerunt.

51. *Aut nisi quis subjectus sit potestati alterius.* — Deinde quod quis potest stipulari alteri, cujus potestati est subjectus, patet ex cit. § *Si quis alii*, instit. *de Inutilib. stipulat.* ubi dicitur: «*Si quis alii, quam ei, cujus juris subjectus sit, stipulatur, nihil agit.*» Ubi prom. Glossa § *Juri*. istud exemplificat de servo respectu domini, cui servus acquirit stipulando, § *Item vobis*, instit. *Per quas per-*

sonas nobis acquir. nam servus pacto suo meliorem causam domini facere potest, non vero deteriorem, l. *Servo creditoris*. C. *de Pactis* Item in filio respectu patris; nam et huic per pactum filii familias acquiritur, § 1, Instit. *Per quas personas nobis acquir.* et l. *Stipulatio ista*. § *Alteri*, ff. *de Verb. obligat.* Item in monacho respectu monasterii, utpote cui res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirit, ut in Auth. *de Monachis*. § *Illud*. collat. 1 et 2. *Exiit*. § *Ad hæc*. *de Verb. signif.* in 6. Nam in tali casu vox unius, ut puta filii, fictione juris intelligitur esse vox alterius, puta patris, cujus jure, seu potestati subjectus existit, arg. § *Si vero*. Instit. *de Inutil. stipulat.*

52. *Vel nisi hoc ipsum stipulantis intersit.* — Ulterius potest quis stipulari alteri, quando hoc ipsum stipulantis interest: ut si tutor cedens administrationem contutori suo, paciscatur rem pupilli salvam fore; aut si dominus stipuletur, dari suo procuratori, quæ in rem ejus expendat; vel si quis creditori suo stipuletur, seu in ejus favorem paciscatur cum tertio, ne bona pignori data distrahantur, § *Sed et si quis*, instit. *de Inutil. stipulat.* ubi hoc ipsum Glossa, et doctores amplius declarant. Nam, ubi stipulantis interest aliquid dari, vel fieri, etiam ipsi acquiritur per talem stipulationem. Tacentur alii modi, in quibus utiliter quis stipulatur alteri, seu in ejus commodum, ita ut inde actio competat: atqui videri possunt apud Glossam cit. § *Si quis alii*. § *Nihil agit*.

53. *Solvitur instantia. Extraneus non potest pacisci tertio, bene tamen indirecte, et quomodo?* — Dices: Si potest quis pacisci alteri, quando habet mandatum ad hoc; ergo generaliter quis extraneus potest pacisci alteri, ejus nomine stipulando, dummodo is postea ratum habeat. Probatur consequentia; quia ratihabitio subsequens retrotrahitur, et mandato æquiparatur, juxta reg. 10 juris in 6, et l. *Hoc jure*. ff. *de Reg. jur.* cum similibus. Resp. neg. consequentiam, loquendo de casu, quo extraneus vult directe ac immediate pacisci tertio, ut si Titius paciscatur cum Cajō, ut det centum Sempronio. Hæc enim pactio non valet, per jura hæcenus allegata, nisi Titius habeat mandatum Sempronii, vel sit huic subjectus, aut ejus etiam intersit. Valebit tamen, si Titius per indirectum nomine Sempronii stipuletur, paciscendo videlicet, ut Cajus sibi Titio det centum pro Sempronio, ac nomine ejus; quia tunc stipulatio fit inter præsentem, ac recipit fundamentum et radicem

in persona Titii stipulatoris, sicque valet, arg. l. *Hujusmodi*. § 1 ff. *de Legat. 1.* tenebiturque Titus stipulator post ratihabitionem Sempronii absentis, huic actionem cedere, l. *Ignorante*. ff. *de Negotiis gestis*. ac tradit Covarruv. in c. *Ruam vis de pactis*, in 6 part. XXI, § 4. n. 13 et Jason in l. *Stipulatio ista*. § *Alteri*, n. 11, *de Verb. oblig.* cum communi. 54. *Regula illa, quod ratihabitio retrotrahitur, et mandato comparatur, quando procedat?* — Ad probationem negatur rursus consequentia. Nam regula illa, quod ratihabitio retrotrahatur, et mandato comparetur, solum procedit quando actus a principio de se est validus, ut accidit in posteriori casu, seu ubi Titius extraneus sibi stipulatur dari, sed nomine tertii absentis, sive Sempronii. Secus vero, quando actus a principio est validus, ut fit in priori casu, seu quando extraneus directe stipulatur dari tertio; tunc enim ratihabitio non retrotrahitur, quia quod non est, non potest ratihaberi. Jason, loc. cit. n. 11, in fine.

55. *Etiam de jure canonico non potest quis pacisci alteri.* — Resp. II. Data regula, quod quis non possit pacisci alteri, seu quod alteri per alterum non acquiratur, etiam procedit de jure canonico. Ita Abbas in proœmio *Decretalium*. n. 25, Jason in d. l. *Stipulatio ista*. § *Alteri*. n. 5, ff. *de Verb. obligat.* citans plures alios, et Pirhing, h. t. n. 7, quamvis Glossa in c. *Quoties cordis*. 1, q. 7., oppositum teneat, asserens de jure canonico me teneri, si ego promitto tibi me daturum Titio decem. Ratio conclusionis est, tum quia jure civili hoc cautum est: nec reperitur in jure canonico aliud esse dispositum; tum quia ad rationem pacti requiritur mutuus, seu reciprocus duorum consensus in idem, ut dictum supra § 1. n. 4. atqui in stipulatione alteri facta absque ejus mandato, talis reciprocus consensus non adest; ergo.

56. *Nisi id fiat mediante juramento.* — Excipitur tamen, præter casus jure civili jam exceptos, etiam ille, quo quis alteri stipulatur, seu paciscitur tertio quidpiam dari, mediante juramento. Nam tunc ratione juramenti obligatur jurans, et datur actio intra ipsum in foro Ecclesie, c. *Debitores*. 6, *de Jur. jur.* quia omne juramentum, quod potest servari absque dispendio salutis æternæ, semper jurans cogitur servare, c. *Si vero*. 8. eod. Jason. cit. § *Alteri*. n. 4. allegans alios. Atque in hoc sensu procedere sententiam glossæ proxime allegatæ, censet Abbas cit. n. 25.

57. *Donatio facta determinatæ Ecclesiæ, an possit a quolibet acceptari?* — Deinde si pactio seu donatio fiat determinatæ Ecclesiæ, vel alicui alteri piæ causæ, potest ea a quolibet etiam homine privato acceptari; sicque iste alteri, seu tali Ecclesiæ pacisci, et paciscendo acquirere, idque favore religionis, et causæ piæ. Jason, loc. cit. n. 6, cum aliis. Intellige dummodo verba ad ipsum dirigantur; quia si verba nullo modo, neque expresse, neque implicite ad ipsum dirigantur, is non poterit acceptare promissionem, vel donationem pro tali determinatâ Ecclesiâ; prout ex communi docet Covarruvias in c. *Quamvis, de Pactis*. in 6, part. II, § 4, n. 13; Lessius, lib. II, de *Just. et jur.* cap. xviii, n. 49.

58. *De quibus rebus liceat pacisci?* — Quæritur III. De quibus rebus liceat pacisci? Resp. I. Generatim loquendo de omnibus rebus honestis simulque possibilibus, quæque sunt in commercio hominum ac paciscentium propriæ, possunt pacta iniri. Ita in re communis; et ostenditur declarando singulas particulas.

59. *Pacta contra leges, ac bonos mores, nullius sunt momenti.* — Dicitur imprimis, « de omnibus rebus honestis. » Nam generale est quod pacta, quæ sunt inhonesta, seu contra leges, vel contra bonos mores, nullam vim habeant, l. *Pacta quæ. c. h. t.* Et quod pactiones illæ, quæ observatæ, vergunt in animæ detrimentum, nullius penitus sint momenti, textus in cap. ult. h. t. illis subiectis verbis: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. » Et hac ratione plura pacta in utroque jure reprobantur, de quibus infra § seq.

60. *Ad impossibile nemo potest obligari.* — Dicitur ulterius, « simulque possibilibus. » Quia « nemo potest ad impossibile obligari » juxta reg. 6 juris in 6, cum similibus. Sive dein aliquid sit impossibile de jure: ut quia, si fieret, læderet pietatem, existimationem, seu verecundiam nostram; ac generaliter, quia est contra bonos mores, seu a legibus prohibitum. l. *Filius qui, ff. de Conditionib. institut.* Sive impossibile de facto: ut quia naturaliter omnino non potest fieri, aut saltem non nisi difficillime, arg. c. *Sciscitatus. 13 de Rescript.*

61. *Pacisci non potest de iis, quæ non sunt in commercio hominum; et qualia hæc sint?* — Dicitur tertio, « quæque sunt in commercio hominum. » Nam imprimis de influxu stella-

rum, de aere, de mari, ac hujusmodi, quæ nullatenus sunt in commercio hominum, sed tam hominibus, quam bestiis communia existunt pacisci, non potest. Deinde illa, quæ sunt publica, ut puta flumina, littora, forum, theatra et similia, quæ usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum non cadunt, § *Item Jurianus. § fin. ff. de Legat. 1.*, in super res sacræ et religiosæ, cum sint juris divini, in nullius bonis sunt, § *Nullius. instit. de Rerum divis.* Sicque nec in commercio hominum existunt, d. § *Idem juris*: ac proinde dato, vel accepto aliquo temporali, pacisci super eisdem non potest absque labe simoniæ, c. *Cum pridem.* et cap. ult. h. t. cum concordantiis.

62. *Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt paciscentium propriæ. Nequit promitti factum alienum.* — Dicitur tandem, « ac paciscentium propriæ. » Hoc est, quod res illæ de quibus pacisci volumus, nostro dominio sint subjectæ, sive dein sint præsentis, sive absentes, vel etiam futuræ, ut fructus ex agris nostris nascituri: « quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt, » ut inquit textus, in cit. § *Idem juris. instit. de Inutil. stipulat.* Unde etiam factum alienum nemo promittere potest: quamvis valeat, si quis promittat se effecturum, ut alius aliquid faciat, vel det; talis enim proprium magis, quam alienum factum spondidisse videtur. Textus est in § *Si quis alium. instit. eod.*

63. *Cur possit legari res aliena, non autem promitti factum alienum?* — Nec obstat, quod res aliena legari valeat, § *Non solum. instit. de Legat.* Resp. enim disparitatem esse; quia promittens factum alienum, censetur velle alium obligare ad aliquid faciendum; hoc autem non est in ejus potestate. Econtra scienter legans rem alienam, non obligat alterum ad eam tradendam; sed solummodo suum hæredem (dato, quod velit adire hæreditatem) cogit, vel rem illam redimere, ac præstare; vel, si eam redimere nequit, æstimationem ejus dare, prout in cit. § *Non solum, illico subjungitur.*

§ III.

DE NONNULLIS PACTIS ILLICITIS, ET A JURE REPROBATIS.

64. *Pactum pro obtinenda re spirituali, est irritum. Quando datur temporale pro spirituali.*

— Quæritur I. An valeat pactum pro obtinendis rebus spiritualibus? Resp. I. Pactum pro re spirituali obtinenda irritum est, ac nullius momenti. Textus est in cap. ult. h. t. ubi additur, quod in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare. Concordat c. *Quæsitum, 5. de Rerum permutat.* ubi additur, quod « pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ, » cum similibus.

Atque hoc imprimis vel maxime procedit, quando pro obtinenda re spirituali datur quid temporale: imo hoc continet simoniam juris divini, cum sit simoniacum ex sui natura vendere, v. g. sacramenta, vel alia spiritualia. Glossa in c. *Cum pridem. §. Illicite.*

65. *Vel quando illud intervenit circa beneficia, aut alia jure ecclesiastico prohibita.* — Deinde pactio circa spiritualia est illicita, et continet simoniam saltem ecclesiasticam, quando ea intervenit in beneficiis ecclesiasticis, aut aliis jure ecclesiastico prohibitis, tanquam continentibus speciem simoniæ, quamvis non detur aliquid temporale pro spirituali; ut si fiat permutatio præbendarum propria auctoritate, et sine interventu superioris, puta episcopi, c. *Quæsitum, 5. de Rerum permutat;* aut quis resignet præbendam cum pacto, ut sibi solvatur certa pensio absque auctoritate Papæ, c. *Super eo, 7. de Transactionib;* vel si eligendus, v. g. in episcopum, promittat alteri beneficium ecclesiasticum, ut det sibi votum in electione, c. *De hoc, 11. de Simonia;* et notat Azorius part. III, lib. XII, cap. VII, quæst. 1.

66. *Alioquin promittere spirituale pro spirituali, non est illicitum.* — Alioquin vero, ubi cessat prohibitio Ecclesiæ, dare vel promittere spirituale pro spirituali, ut puta certa rosaria recitanda pro celebratione missæ, vel sacras reliquias cum aliis permutare, non est illicitum, nec simoniacum. Siquidem cit. cap. ult. h. t. (ut explicat Glossa, §. *Cessare*) solummodo loquitur de pactione illicita in spiritualibus, seu tali, quæ inducit simoniam. Concordat, idemque amplius declarat Glossa alia in c. *Quam pio. 1. q. 1. §. Pactio,* expresse docens, quod in spiritualibus non removeatur, nisi pactio sit inhonesta; nam honesta non removeatur, ut can. *Quamquam, dist. 23,* et can. *In ea Synodo, dist. 100,* et c. *Significatum, de Præbend.,* cum similibus. Et hoc modo intelligenda est præsens conclusio.

67. *Pactum, vi cujus beneficium ecclesiasti-*

cum debet pecunia resignari, non valet, imo est simoniacum. — Quæritur II. Quænam pacta, circa beneficia ecclesiastica in hoc titulo specialiter prohibeantur? Resp. I. Non valet pactum, vi cujus beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari. Ita desumitur ex c. *Cum pridem, 4.* h. t. et notat Abbas in *Summario,* alique doctores ibidem. Ratio est clara: quia dare spirituale pro temporali, est simonia: atqui beneficium ecclesiasticum est quid spirituale, et pecunia est quid temporale, c. *Consulere, de Simonia,* et alibi; ergo.

68. *Etiamsi quis cedat beneficio litigioso, et alter vicissim aliquid temporale offerat.* — Atque hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigantium privata conventionione, ac sine auctoritate superioris, cedit liti, et juri super beneficio litigioso, si quod in eo habeat; altera vero pars vicissim dat aliquid temporale, v. g. expensas factas restituit. Nam etiam in tali casu jus spirituale, quod quis in beneficio habet, vel saltem durante lite in ejus possessione existit, pro pecunia, aut alia re temporali, remittitur, ac resignatur; quod est simoniacum. Abbas in cit. c. *Cum pridem, u. 1, et 2,* et Barbosa in *Collectam, ibid. n. 16,* h. t. citans plurimos alios, estque communis.

69. *Atque istud detur nomine expensarum, quas alter fecit in consecutione beneficii.* — Nec obstat, quod illud temporale, v. g. pecunia, detur ac recipiatur nomine expensarum, quas possessor beneficii litigiosi fecit in ejus consecutione. Non obstat, inquam; tum quia in spiritualibus omnis pactio inter partes cessare debet, ut dictum n. 63; tum quia beneficia ecclesiastica non nisi simpliciter ac pure resignari debent, c. *Ex parte, n. 12, de Offic. delegat.* juncta Glossa §. *Dimittere,* et doctoribus ibidem, et c. *Super eo, 7. de Transact.* cum similibus. Alioquin, si semel liceret nomine expensarum quid recipere, facile hoc posset fingi in fraudem. Abbas loc. cit. Accedunt dicta superius, tit. IX, *De Renuntiatione, § 4,* n. 75, 76, et seqq.

70. *Quid, si interveniat auctoritas superioris, v. g. episcopi?* — Additur notanter n. 68: « privata conventionione ac sine auctoritate superioris. » Nam interveniente auctoritate superioris, puta Papæ, vel episcopi ex gravi causa id concedentis, nihil obstat, quin pars cedens liti super beneficio exortæ, recipiat aliquid temporale: non quidem in compensationem juris sui, si quod in beneficio haberet (hoc enim apertam continet simoniam)